

**Disputatio inauguralis medica de loquelae symptomatibus, quam ... /
committit Vitus Riedlin.**

Contributors

Riedlin, Veit, 1628-1668.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Jacobi Thilonis, Anno M.DC.LII. [1652]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ckke3kej>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA

De

LOQUELÆ
SYMPTOMATIBVS,

QVAM

DIVINO ASSISTENTE NUMINE

Inssu & Decreto

AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
ET EXPERIENTISSIMI, IN CELEBERRIMA
ARGENTINENSIVM UNIVERSITATE
MEDICORVM COLLEGII,

*Pro Summis in Arte Medica Honoribus, Immunitatibus
ac Privilegiis Doctoralibus ritè conse-
quendis*

Placidæ φιλιάρων Censuræ committit
ad 20. Decembr.

VITUS Riedlin / ULMANUS.



ARGENTORATI,

Typis JACOBI THILONIS:

ANNO M. DC. LII.



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, & PRUDENTIS-
SIMIS,

DN. DN. DUUMVIRIS,
CONSULIBUS AC RELIQUIS,
QUI E SENATORIO SUNT ORDINE,
INCLYTÆ & IMPERIALIS REI-
PUBL. ULMENSIS.

PATRIBUS PATRIÆ,
FACTORIBUS MAXIMIS,
DOMINIS GRATIOSISSIMIS

Exercitium hoc Medicum

*In debita Observantia τεκμηρίον, Animæ
Grati monumentum, Suiq; ulte-
riorem Commendationem*

submissè consecrat,

V. V. A. A. & N. N.

devotissimus cliens

VITUS Kiedlin.

THESIS I.

D Lacet impræsentiarum agere de Symptom-
matibus iis, quæ in actione Hominis nobilissi-
mâ, Locutione videlicet, hætenus deprehensa
fuerunt.

II. Læditur verò eadem, prout pleræq;
aliæ tripliciter, Vel enim aboletur, vel immi-
nuitur, vel depravatur.

III. *Abolitio* rursus fit dupliciter, aut enim vox etiam si-
mul perit, aut hæc superstes manet: Græcis vocatur *ἀνοδία*, &
ἀφονία. *Imminutio* accidit, quando ægrè, tardè, difficulterque
Loquela succedit. *Depravatio* maxime conspicua est in *ισχυροφα-
νία*, *ψελλότητι*, & *τραυλότητι*.

IV. Ex hisce elucescit, quid sit abolita, imminutave Lo-
cutio: quid reliquæ depravatæ species, ex sequentibus.

V. *ισχυροφανία*, illud dicitur Symptoma, cum quis primam
vel aliam syllabam cum labore & difficultate repetere cogitur:
Vel, ut alii describunt, est alteram Syllabam, alteri præproperè
jungere non posse. *Alio nomine* appellatur, Lingua hæsitantia,
sive titubantia, & Buttarrismus.

VI. *Τραυλότης*, Balbuties, cum pro litera R. pronuntiatur
L. aut R. imperfectè solùm effertur, idque cum ictu quasi tre-
mulo.

VII. *ψελλότης*, Blæfitas, quando non omnes literæ &
syllabæ pronunciantur, sed quædam omittuntur.

VIII. CAUSÆ Abolitæ & Imminutæ Loquela sunt eæ-
dem, differunt tantum secundum magis & minus: Et hærent
vel in Spiritibus, vel in partibus, quæ Locutioni inserviunt.

IX. *In Spiritibus*, quando iidem vel deficiunt, id quod in
Agone, Syncope, Animi deliquiis &c. accidit. *Vel*, Cum In-

fluxus illis denegatur in Organa motus, ut fit in Apoplexia, 6. aph. § 1. Affectibus soporosis; Ictu, casu, lapsive ab alto; 7. aph. § 8. Ebrietate, §. Aph. §. *Vel* quando ad Interiora revocantur, id quod in terrore, subitâ consternatione, mœrore, Luctuve evenire solet.

X. *Ratione Instrumentorum.* Causæ sunt variæ: quoniam & hæc ipsa varia sunt & multiplicia: Et juxta communem Versiculum

*Instrumenta novem sunt: fauces, Lingua, palatum,
Quatuor & dentes, & duo labra simul.*

Quibus tamen jure meritoque adduntur, principium nervorum, Arteria, aspera, Pulmo, Musculi Thoracici, Nervi recurrentes, Maxilla Inferior, Buccæ.

XI. *Et primo quidem LINGUA*, tanquam ἄργανον διαλεκτικόν, Loquelam impedit, quando vel proprium illius Corpus p. n. afficitur; vel cum in actione suâ, ob partium circumjacentium vitia impeditur.

XII. *Ipsius Lingua vitio* I. quando intemperanter se habet, idque vel in siccitate, vel in humiditate: Illud accidit in febribus ardentibus; hoc in ipsis puerulis. II. *Lingua tumor*, & in eam quidem magnitudinem auctus, ut lingua vix ore contineri queat, cujus Exemplum illustre extat apud Galen. lib. 14. meth. med. c. 8. III. *Lingua amputatio*, vel totalis, vel partialis; Ejusdem *Vulnus*, *Ulcus*. IV. *Ligatura Lingua*, propter illius vinculum, quod Frænum aliâs vocatur, arctius; aut longius, ad eum ut ad apicem, seu extremitatem eius sese extendat. V. *Musculi ejus*, cum sunt vulnerati, ulcerati, tumefacti, intemperie sicca, humidaque affecti, resoluti. VI. *Nervi Lingua motorij*, qui à septimo nervorum pari prodeunt, qui vel in ipso utero malè formantur, unde muti nascuntur; vel post ortum nimium humectantur, refrigerantur, obstruuntur, comprimuntur, vulnerantur.

XIII. *Lingua in motu suo impeditur* I. *Ratione Palati*, quod vel tumefactum, ulceratum, vulneratum. II. *Ratione dentium*, qui vel prorsus desunt, vel vitiosi sunt in situ. III. *Ratione buccarum*, quæ itidem vulneratæ, ulceratæ, tumidæ, vel secundum musculos

musculos resolutæ. IV. Ratione *Gingivarum*, quæ nonnunquam in prodigiosam excrescunt magnitudinem, de quibus Schenck. Obs. de Cap. 374. V. Ratione *partis quæ Lingua subjacet*, in qua Ranula, ejusdem motum impedit. VI. Ratione *Maxilla Inferioris*, quando vel effringitur, vel luxatur.

XIV. FAUCES malis hisce Occasionem præbent, cum præcluduntur vel coarctantur, à Tumoribus & Inflammationibus tum Laryngis, tum faucium ipsarum, tum etiam Columellæ & Tonsillarum. *Arctantur* itidem à Polypo, qui quandoque ita excrescit, ut per foramina palati, ad ipsas quoque fauces descendat.

XV. NERVORUM PRINCIPIMUM, spinalis Medulla, Nervique vocales, Recurrentes appellati in causa sunt, qui anulo vel obstruuntur, vel comprimuntur, vel vulnerantur.

XVI. LABRA verò, cum & ipsa tumefacta, resoluta, convulsione affecta, vulnerata, ulcerata, malè primitus conformata.

XVII. ARTERIA ASPERA, quæ & Canna Pulmonum, & fistula spiritalis nuncupatur, Loquelæ obest, si sit obstructa, arctata, vulnerata, intemperie humida tentata.

XVIII. PULMONES tale quid causantur, quando sunt obstructi, arctiores redditi & adstricti, quando item, inflammati, itemque compressi.

XIX. MUSCULI THORACICI actionem hanc lædunt, cum vel insigni intemperie, frigidâ cumprimis laborant; vel Apostemate aliquo magno conflictantur; vel grave vulnus, inque thoracem penetrans patiuntur; vel denique etiam Paralyti afficiuntur.

XX. *Ἰσχυροφωρίας quæ sit causa*, explicatu admodum est difficile. Acquiescimus nos in illis, quas Aristoteles sect. II. Probl. affert, nimirum I. *Imbecillitate* Linguae & Labiorum. II. *Ligatione* Linguae, cum libera atque soluta non est. III. *Calore*. IV. *Frigore*. Quibus tamen & *vitium quoddam conformationis* addimus, quandoquidem ferè semper ab ipso ortu vitium istud dependeat.

XXI. *Τραυλότις* & *Causas*, Gal. Comm. 6. aph. 32. sequentes recenset, I. Linguae imbecillitatem naturalem, aut etiam

Nervorum, quos Lingua accipit à cerebro. II. Ejus brevitatem, quam tamen dicit rarissimam. III. Linguae humiditatem atque mollitiem, hæc enim firmiter inniti non potest. IV. Siccitatem & ariditatem Linguae. V. Defatigationem, idque! propter diuturnum & continuum sermonem.

XXII. *Ἐλλείψεις* Cause secundum authores sunt, I. Ni- mia in loquendo festinatio. II. Defectus Dentium. III. Labro- rum mutilatio. IV. Palati exelio. V. Vitium aliquod Linguae, cum vel justo longior, aut brevior, latior aut angustior, Crassior item, & indecenter formata.

XXIII. *Quæ verò*, singulorum horum vitiorum speciales sint causæ, quæ item externæ, facillimè ab illo perspicui poterit, qui vel mediocriter in Pathologicis versatus fuerit.

XXIV. Transeo ad DIAGNOSTICA, quæ quidem addere nihil attinet, cum satis superque vitia hæc ce cuius ex su- pra dictis innotescant. *Hoc solum notandum*, quâ ratione discer- nenda sint, an orientur per Idiopathiam, an verò per Sympathi- am. Illud palàm fit, quando reliquæ functiones animales mini- mè læduntur: hoc verò, quando illæ simul coafficiuntur.

XXV. PROGNOSTICA: *Nativa vitia*, quæ in ma- gnitudine & conformatione consistunt; *Vulnera item & Ru- pturæ Nervorum*, immedicabilia sunt.

Ab Apoplexiâ vel Caro relicta, rarò & difficulter curatur.

Ex Confirmatâ Paralyfi omnes obmutescunt.

Dum tota Lingua resolvitur, gravis impendet metus Apoplexiæ, Gal. l. 4. de loc. aff. c. 2.

XXVI. CURATIO quibus perficiatur, manifestum id fit ex Methodo medendi, nimirum causæ recensitæ omnes sunt demendæ, Intemperies per contraria alterandæ, Mala compositionis corrigenda, Vulnera denique & ulcera ex artis præscripto pertractanda. *De quibus tamen omnibus hac vice & hoc loco agere Instituti mei ratio non patitur*, illa namque omnia hic describere, & nimis longum, & forsan etiam tædiosum foret. *Agam autem* 1. de Linguae Paralyfi, quæ vitio humorum, potissimum verò frigidorum orta. 2. De Imminutâ vel abolitâ Loquela à casu, ictu, aut lapsu ab alto ortâ. Denique 3. de Lin-

guæ

guæ Ligaturâ , quæ easdem actiones impedire non raro solet.

XXVII. *Paralysis* quam modo nominavi, est vel ab Obstructione, vel Compressione, vel nimia humectatione & frigiditate Nervorum. *Hic ergo* indicantur duo, ut nimirum I. Humores vitiosi auferantur. II. Intemperies per contraria alteretur.

XXVIII. *Priori satis fit*, si universalibus præmissis, humores isti vacuenter vel sensibiliter per Caput purgia, Hydrotica, Errhina, sternutatoria, Gargarismos & Apophlegmatismos; Vel insensibiliter, per Discutientia & Absumentia. Revellantur item, & à parte affecta avertantur. Posteriori verò, Alterantibus Calefacientibus, & iis quidem appropriatis.

XXIX. *Universalia* consistunt in primarum viarum evacuatione, Humorum præparatione, & eorundem expurgatione. Quorum tamen præfidiorum materiam recensere nolo, cum sæpius ex hoc loco tradita fuerit, passim quoque extet apud Medicos, & in subsequentiis etiam non pauca eorum reperiantur.

XXX. *Revellant*, & humores à parte affectâ avertunt, Clysmata & suppositoria acriora. Cucutbiculæ cum & sine scarificatione adhibitæ, frictions dolorificæ deorsum versus cum linteaminibus calidis factæ, Sinapismi & vesicatoria artubus applicita.

XXXI. *Materia verò Clysmatum* acriorum est ista: *Origanum*, *Calamyntha*, *Ruta*, *Centaur. minus*, *Pulegium*, *Hyssoopus*, *Marrub. Sem.* *Carui*, *Fœniculi*, *Anisi*. *Rad. Gentianæ*, *Aristolochiæ*, *Agaricus*. *Colocynthis*. decoquant, in aqua vel hydromelite: Decocto addantur *Ol. Rutæ*, *Hiera Diacolocynth.* *Benedicta laxat.* *Diaphœnicum*, *Sal Gemmæ*, *Sal vulgaris*, &c.

XXXII. *Suppositoria acriora* parantur ex Melle cocto & inspissato, additis *Pulver. Aloes*, *Agarici*, *Sal. Gemm.* *Hier. picr.* *Gal. Pulv. scammon.* *Colocynthid.* *Hellebori utriusque*, *Nitri*, *Sal. Ammoniac.* *Diagryd.* *Troch. Alhand.* *Elateriâ*

XXXIII. *Quod si Vitium sanguinis fluxilis* effatu dignû quoque adfuerit, præmissis præmittendis, sanguis mittatur è vena Cephalicâ primo: Deinde è venis sub lingua, quod sæpe præsentissimum affectionis hujus fuisse remedium, *Sennertus* testatur.

XXXIV. *Caput sensibilibiter* evacuant, uti jam dictum *l. Purgantia*, inter quæ inprimis commendantur Pilulæ, quæ cum diutius ventriculo immorentur, validius trahunt à partibus distantioribus: Sunt autem sequentes:

Pilula Cochix, Aureæ, sine quibus, Arabicæ, de Nitro Tralliani, Arthriticæ Nicol. Fœtidæ major. Mes. de Sagapeno, de Opopan. de sarcocolla, &c.

XXXV. 2. *Errhina & Ptarmica*, quorum materia sunt sequentia. *Aq.* Betonic. Majoran. Salv. Rosmar. Lavendul. Serpilli, Rutæ, Hyssopi, Anagallid. Fumarix, Mercurial. Betæ, Pulegii, Origani, Marrub. Chelidon. maj. Gentian. *Succus* Betæ, Brassicæ, Irid. nostrat. Ciclamin. Cucumer. asin. Mercurial. Caparum. *Ol.* Rosmar. Majoran. Euphorb. Piperis.

Pulv. Majoran. Semin. Nigellæ. Irid. Illyric. Calament. Ciclamin. Acori. Flor. Lil. Convall. Saponar. Nicotian. Pyrethri. Euphorb. Zinziber. Castorei, Macropiper. Hellebori albi.

XXXVI. 3. *Apophlegmatismi*, qui ex sequentibus componuntur: ut sunt: *Rad.* Pyreth. Cort. rad. Cappar. *Hyssopus*, Majorana, Betonica, Ruta, Zinziber. *Sem.* Staphisagriæ, Sinapios, Nigellæ. *Cubeba*, Macropiper, Macis, Nux Moschata. *Mastiche*. *Vva Passa*. Quibus si decoquuntur additur *Mel Rosatum Colatum*, *Mel Anthosatum*.

XXXVII. *Insensibiliter materiam vacuant*, discutunt, & absumunt: Intemperiem insuper corrigunt, & nervos corroborant ex compositis internis sequentia.

Aqua Ceras, nigr. Sylvest. Lavand. fl. Pœon. Lilior. Convall. fl. Tiliæ, Salviæ, Majoran. Rosmarini cum vino facta, Levcoi lutei, Cinamomi: Mirabil: Langij, Salviæ compos. Elyx. Vitæ Matth.

Spir. Ceras, nigrorum.

Essentia Castorei cum Spir. Vini parata.

Ol. Anisi, Linguæ guttatim inspersum.

Conserva Primul. Veris. Betonic. Lavand. Chamepyt. Anthos, Salviæ, fl. Pœon. Lil. convall.

Theriaca Andromachi, Mitridat. Damocrat, Diacastoreum Myrepsi.

Acorum Cond. rad. helen. cond. N. M. cond.

Extract. Galang. Calam. aromat. baccar. Juniper.

Spec. Diamb. Diamosch. dulc. Dianth. Diaplyris, Dia-

cubeb.

Sal Pearlarum, Corallorum, Succini.

Ex qua materia variæ concinnari possunt formulæ, nimirum Tabulæ, Rotulæ, Trochisci, sublingual. Conservæ, Conditæ, Electuaria, Aquæ compositæ, &c.

EXTRINSECUS Vertici & Nuchæ inungi poterunt
Balsam. Apoplectic. succini, Rosmar. Salv. Lavendulæ, Rutæ.

XXXVIII. Quod si Loquela aboleatur vel imminuatur à causa quapiam externa, Ictu videlicet, Casu aut Lapfu' ab alto.
I. *Humorum affluxus* est prohibendus, per Venæ sectionem, Remedia Revulsoria supra proposita, & Medicamenta Repellentia.
II. *Materia*, quæ extra vasa fuit lapsa discutienda.

XXXIX. In Repellentium verò usu notandum, I. ne illa actu frigida admoveantur. II. Ne sint adstringentia, poros enim obstruunt, & transpirationem impediunt. III. Ante applicationem capilli prius abradantur.

XL. Eorum Materia ex simplicibus sunt:

Lactuca, Viola, Nymphæa, Lenticula palustris, Alfine, Sempervivum, Lenticula palustr. Solanum, Papaver album: *Rosa*, Viola.

Sem. Psyllij, Papaver albi.

Tragacanta. Ovi Albumen.

Farina Hordei, Fabarum.

Ex Compositis:

Aqua Lactucæ, Solani, Violarum, Lenticulæ palustr. Sempervivi, flor. Sambuc. Omnium flor. spermatis ranar. Roris majal. Cucurbitar. Cucumer. Melonum.

Ol. Ranar. Populneum, Violarum Sambucinum, Nymphææ.

Vnguent. alb. cum & sine Camphorâ, Refrigerans Galien. Populn. Violat. de Glycyrrhyza.

Mucilago Sem. Psyllij, Sem. Cydoniorum.

Ex quorum præsidiorum materia parari queunt Frontalia, Epithemata, Pulticulæ, Cataplasmata, &c.

XLI. *Discussientium Materia Interna*, jam proposita fuit
thes. 37.

XLII. Quæ extrinsecus applicantur, componuntur ex
sequentibus.

Betonica, Salvia, Rosmarin. Majoran. Origan. Hyssop.
Ruta, Marrub. Absynth.

Fl. Chamemeli, Meliloti.

Farin. Sem. Lini, Sem. fœnogr.

Melle, Pinguedine Anser. Vulpin. Adipe Gallinaceo.

Ol. Rutæ, Laurin. Chamemelin. Keyrino, Anethino.

Unguent. Aregon. Martiat. Agripp.

Cerat. de Betonica.

XLIII. *Restat* ut paucula quædam de Ligaturâ Linguae
adjiciam.

XLIV. Oritur illa vel statim à primo ortu, vel demum
post ortum ob ulcus, aut Cicatricem.

XLV. *Putant quidam* ptius vitium omnibus, aut saltem
plerisque commune esse; Unde videmus Obstetrices ad illud
solvendum, vel acutum unguem, vel forficem in promptu habe-
re. Falluntur tamen, quandoquidem ipsa natura non perpetuò
aberret, aliquando tamen id ipsum evenire *à vtroque* monstrat.

XLVI. *Remedium* utriusque est Incisio, quam Aetius te-
trab. 2. serm. 3. c. 36. alique docent: nervosum nimirum is-
tud vinculum transversum secatur, vel quicquid durum est, ut
si Cicatrix in causa est, vi ferri absumitur, animadversione adhi-
bitâ, ne simul etiam vicinæ partes lædantur.

XLVII. *Cautio* quoque adhibenda ne nimis profundè in-
cidatur, quanta enim pericula exinde consequantur, exemplo
probat Fabricius Hildan. Cent. 3. observ. 23.

XLVIII. *Monet idem* ibidem ut Ligamentum istud in
duobus vel tribus incidatur locis: hæc enim ratione fieri, ut dif-
ficilius coalescat.

XLIX. *Post operationem* Oxycratum seu Posca, Syrup. de
Ros. siccis, Mel. Rosatum Colat. & aquæ Vulnerariæ, ut sunt

Aq. Saniculæ, Alchimill. Verbenæ, Pilosellæ, Equiset. Pru-
nell. Consolid. maj. Anagallid. fol. quercûs, Millefolii, &c. ad-
hibentur.

L. Atque hæc de propofitâ materiâ dicta fufficiant, *Tibi &*
Æterne Deus, pro his atque aliis tuis muneribus, quæ e largiffi-
mâ manu tua accepi, Sit Laus, Honor, & Gratiarum actio, in
fecula.

COROLLARIA.

1. Venter sanguine non Chylo nutritur.
2. Hepar est Principium Venarum $\rho\iota\zeta\omega\sigma\epsilon\theta$.
3. De Spiritu naturali quamvis Galenus dubitarit; est
tamen ille summè necessarius.
4. Aqua simplex non est Nutrimentum.
5. Causa continens & Conjuncta æquipollent, non item
Conjuncta & Proxima.
6. Color Corneæ tunicæ p. n. visionem lædens, est Mor-
bus.
7. Curatio fit per contraria.
8. Ineptè faciunt, qui Purgantia Cibis in Prandio vel
Cœna admifcent.
9. In sanguinis missione venarum delectus est haben-
dus.
10. Causa dierum Criticorum Principalis non est Luna.
11. Datur Apoplexia, quæ à denegato Influxu Spiritûs
vitalis in cerebrum oritur.
12. Epilepsia Affectus est Chronicus.
13. Dolor dentium $\rho\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota\kappa\omicron\varsigma$ pro specie Arthritidis citra
absurditatem haberi potest.
14. Non omnis febris putrida fit à putredine humorum.
15. In dysenteriâ licitum est Purgantia offerre.
16. Si Fernelius per arenosam Renum Constitutionem
eorum Intemperiem Calidam, densitatem, an-
guftiam

gustiam, & facultatis expultricis imbecillitatem
intelligit, potissimam Renum Calculi ponit cau-
sam efficientem,

17. Aqua Articulorum, das Gliedwasser non est eorum
nutrimentum.
18. Potiones Vulnerariæ insignem præstant utilitatem.
19. Vulnura sclopetorum non semper junctam habent
ambustionem.
20. In parando seraceo, præstat ferrum frigidum ignis.

F I N I S.

